6
1 1-c
106

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
9 B
50

Bibliotheca
i Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-11-C-106

22-6-42

22
b
63

22-8-00

Digitized by Google

DE SANCTISSIMO
DOMINO NOSTRO
CLEMENTE X.
PONTIFICE OPT. MAX.
ORATIO
ET CARMINA
DICTA IN AVLA MAXIMA
COLLEGII ROMANI

AVTHORE

IO. LAVRENTIO LVCCHESINIO
LVCENSI E SOCIETATE IESV

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, Typis Nicolai Angeli Tinaſſij 1670.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

SANCTISSIMO
DOMINO NOSTRO
CLEMENTI X.
PONTIFICI OPT. MAX.

IOANNES LAVRENTIVS LVCCHESINIVS FOELICITATEM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

OPVSCVLA, quæ vt publici iuris facerem, in animum induxere meum officioſę preces, & quotidianæ propemodum querelæ Præclariſſimi Adoleſcentis Ioannis Baptiſtæ Abbatis Spinelli, Cariati Principis, & Seminariæ Ducis Fratris, Sanctiſſimo

Digitized by Google

Tuo Nomini conſecro, Beatiſſime Pater. Oratio quidem Auroram ſolummodò exhibet Sacri Principatus Tui, horas videlicet illas, quibus mirificè reluctatus es, ne Imperium capeſſeres. Sed ex hoc prodigioſo exortu augurari licet, qnid de meridie Præclari Regiminis dicendum in poſterum ſit. Quamuis ad Regale Sacerdotium, à quo longiſſimè aberas ſtudio & voluntate, animum comparaueris prope Diuinis Prærogatiuis, ea tamen in ſingulos dies edis argumenta Cæleſtis Animi, & cognationis cum Deo, quæ vel in Te prodigioſa videri poſſint. Religione quidem, & Integerrimo cultu Virtutis, adeo Diuinitatis Amorem vindicas Tibi, vt Sanctiſſimum Nomen non Muneri magis, quàm Moribus Tuis debeatur.

tur: Ac ſi viuam & animatam mortalium Legem eſſe Principem Themiſtius dixit, delibatamque ex Cæleſti mente, ac citimam terris Prouidentiam, quam ad alterius imitationem fingi, accommodarique neceſſe ſit; nunquam Diuinæ huiuſce indolis nota ac ſpecimen, quàm in Te illuſtrius effulſerit. Incredibili ſtudio ſacrarum precum intereſſe perpetuò ſoles Regię Diuinæ, à qua petis exempla regnandi. Hoc quidem conſortium cum Superis adeo requiritur in Principe, qui laturus ſit leges Mortalibus, vt qui illo ſunt deſtituti, ſplendido tamen illud mẽdacio iactauerint, & priſci Legum latores Zoroaſtres, Minos, Charondas, Solon, Zamolſcis, Numa, vt authoritatem conciliarent Legibus ſuis, eas retulerint ad Horomaſin,

 Iouem,

Iouem, Mercurium, Apollinem, Veſtam, Aegeriam, de quorum Numinum nocturno colloquio exceptas à ſe illas fuiſſe profitebantur. A vera, cui diutiſſimè indulges, familiaritate Diuina, hauſta Indoles illa Cæleſtis, cultus ille in Superos, quorum honores amplificas, & in poſterũ amplificare decernis, Clementiſſimum illud Ingenium, & eiuſdem mirabile fœdus cum ſingulari ſtudio Aequitatis, prodigioſa Modeſtia, Aequanimitas maior humanà, contemptus Heroicus periturae felicitatis, & ipſius Regni; adeout ſi iure optimo elatus præconijs in Cælum fuit Magnanimus Horror, & Fuga Imperij, antequam ſummam fortunam experireris, Panegyricos prouocet Animus Imperio maior, quo poſtquam Orbem ter-

terrarum ſacro Imperio tenere coactus es, erga ſupremum mortalium rerum faſtigiũ afficeris nihil. Enimverò nihil Tibi ſumis ex Regno, niſi laborioſũ, quẽ præſtas humano Generi, famulatũ, cui perpetuas curas addicis, breuiſſimam etiam quietem membris indulgens, atque vt per ſacras preces mortalibus concilies Deum, ante lucem ſurgens è ſtrato. Quod quidem non modò Religioſum eſt, ſed & Regium. Apollonius certè Philoſophus non ignobilis, vt author eſt Philoſtratus in eius Vita, cum matutinus adiuiſſet Veſpaſianum apud Syriam Præfectum, eumque inſperatò offendiſſet ante Auroram agentem cum Ducibus Exercitus, cui pro Nerone præerat, confidentiſſimè dixit: Ὁ ἀνὴρ ἄρξει: Omen Imperij ducens ex eo, quod

 dilu-

diluculò operam daret nobilibus curis, & ſomni modicus experrectum mane Animum magnis conſilijs exerceret. Quo verò ſtudio in Rempublicam vigil incumbis! Quo ardore animi publicæ egeſtatis incommodis, in his etiam ærarij anguſtijs, mederi ambis! Vt ſtatim Aulam Tuam compoſuiſti ad optimæ diſciplinæ leges! Hinc ortum, vt cum omnes vltrò aſſererēt, dum Sacra Comitia peragerētur: eo etiā nomine non exoptandum eſſe in præſentia Sacrum Imperium, quòd cum exhauſtum ob Cretenſe bellum, aliaſque cauſas eſſet Aerarium, non modò excitare afflictas ſubditorum res, integrum nouo Principi non eſſet; ſed etiam cum fulcienda inſolitis populi ſubſidijs eſſet Reſpublica, neceſſariò vulgaris auræ

plau-

plauſus eidem deſperandus eſſet, ſecus omninò contigerit, non ſine incredibili admiratione Sapientum. Multum intereſt, vt inquit ille, in quæ Tempora Magna Virtus inciderit; ſed eximiæ Virtuti Tuæ quęcunque Temporum iniquitas victa ſuccubuit. Statim enim dicatis Diuino cultui Viris ademiſti Vectigal; quamuis, cum fauſtiſſimum decretum prodiuit, maximum à Barbaris diſcrimen immineret, ad quorum vires frangendas vis illa ſacræ pecuniæ conflabatur. Et profectò decebat, ab Optimo Sacerdotum Antiſtite, his primò, cætero exinde Populo contra inopiam auxilij copiam fieri. Quod autē videri potueris, non cauere periculū Turcici belli, cum pecuniæ præſidia contemneres, id ego accidiſſe crediderim, quia

Di-

Diuinitus cognouiſſes, nullam nobis perniciem ab ea, quam Hoſtes armabant, claſſe afferendam: aut quia metu concuti non poſſes, qui à fortiſſimis Viris originem trahis, & ſtrenuiſſimi Imperatoris Flaminij Delphini Sororis filius es: aut quia ſtatueres apud Animum Tuum, Amore in ſubditas gentes melius quàm aureis haſtis corrogatæ non ſine ingenti plurimorum dolore pecuniæ pugnari poſſe. Charitas enim Superos vocat ad ineundum nobiſcum fœdus, adeòque ſi non aureis, Diuinis certè armis Thraces euertit. Nuper dimidium Vectigalis, quod pro militum vtenſilibus exigebatur, vltrò Vniuerſæ Pontificiæ Ditioni deſtituiſti, quod alij Pontifices Optimi voluerant eſſe perpetuum. Ingentem verò quotidie

pe-

pecuniam, & magna ex parte clam, in Pauperes erogas, eiuſque Diribitores affirmãt, à Te obrui hac etiam laude cæterorum Pontificum liberalitatem. Quàm inſignis prouentus eſt Principis Parſimonia! Quàm egregia eadem Panacea eſt ad obducenda vulnera deficientis Aerarij! Quot plauſibus efferendus es à Populo, cui Vectigal ipſe perſoluis ea, quæ ſubtrahis ipſis etiam Dapibus Tuis: Pro quibus arctiſſimè cohibes ſumptus, ac vix fieri ſinis decimam expenſæ partem ex ea, quæ cæteris auream ſupergredi mediocritatem viſa non fuit. Suppetias ferre laboranti Reipublicæ, ſolenne perpetuò fuit Alteriæ Genti, quę Magnanimos, & Regales ſpiritus ducens à Proauis nobiliſſimis, ac præſertim à Stephano VIII. Sum-

mo

mo Pontifice, qui ante annos omninò ſeptingentos Sacrum Imperium præclariſſimè geſſit: à Petro, Victorino, Cornelio, Rodulpho, & Ioanne Baptiſta, Principibus Purpuratis: à Marco Othonis Cæſaris Dapifero: à Corradutio Patricio Romanorum opulentiſſimo, qui anno reparatæ Salutis decimo quinto ſupra milleſimum ducēteſimum Helenam Vrſinam duxit Vxorem: ab his, inquam, alijſque innumeris pacis, & belli artibus florentiſſimis Viris præcelſam Indolem hauriens, Populo contra inopiam, & cætera incommoda præſidio fuit: vetuſtiſſima Templa, & Publicas Ædes excitauit; omnibus ſalutare perfugium perpetuò præbuit, præſertim cum Conſeruatorum Principes Senatui dedit: nobiles Ciuitates Viter-

ter-

terbium, & Vrbem veterem patrocinio fouit, adeout Laurentius Alterius earumdem Pater, ac Patronus publico plauſu ſalutatus fuerit. Et mirabimur, quod Populum augeat donis Optimus Princeps, proles Heroum, qui vel in priuata fortuna populari ſemper commodo ſtuduerunt? Hoc verò ſtudium publicæ incolumitatis Tuum præcipuè enituit, cum Palutium Cardinalem Alterium adhibere in Regno gubernãdo curarum omnium, conſiliorumque participem decreuiſti, cuius præcelſa mens Idea videtur earum, quas temperandis hominibus, ac regendis Imperijs Aeternum Diuinitatis Conſilium deſtinauit. Accedit ad cæteras dotes, quæ carum æquè, ac venerabilem Te Populis effingunt, eximia fœlicitas,

citas, qua Cæleſtes virtutes Tuas muneratur Deus, quamque cæteroqui præſtare de ſe ipſo nemo poteſt. Hinc pacatiſſimum Tibi eſt Regimen, eritque perpetuò: vtque olim Sapientiſſimo Principum imperante Iſraeli, fauſtiſſima Populo Pax affulſit, ita Sanctiſſimum Regimen Tuum, expulſis iam bellorum nubibus, perpetuæ pacis ſerenitas exhilarabit. Exordium ipſum Principatus Tui vniuerſam Europam fortunauit. Dum Comitia protrahebantur, quot imminentium diſcriminum horror noſtris animis obuerſabatur? Inſtare iam Italiæ faucibus Turcarum Tyrannus videbatur: Rebelles Hungariæ Proceres magnos in Germania motus concitauerant: inteſtinis diſſidijs agitabatur Polonia: vltrò Coſacchi de-

dediderant ſe ſe Hoſti Chriſtiani nominis infenſiſſimo: Sed vix Te renunciato Pontifice, viſa ſunt illicò improſpera fata diffingi. Turca in interiora Regni recepit ſe, non ſine metu breui erupturę ciuilis pugnæ: quæ pars Hungariæ defecerat, adorat Cæſarem: Præclariſſimo Regi plaudit vniuerſa Polonia: inter ſe diſsidentes Coſacchi Bizantium execrantur, teſtes Fidei, & obſequij ſui Nuncios Cracouiam, & Varſauiam identidem legant. Vſque adeo placuit Superis electio Tua, vt illius prœmium has terræ felicitates indulſerint, eruptura bella cōpreſſerint, & ſpe pulcherrima mortales erexerint. Quot ſub Te Principe Romanæ Fidei Triumphi adornantur! Ætnicæ ſuperſtitionis excidium augurari licet ex ijs nuncijs,

quæ

quæ de reuocatis in Iaponiam Luſitanis ſparguntur in dies. Neque verò nihil proderit ad ſubdendos Vaticano animos Barbarorũ Tuus eximius cultus in Franciſcum Xauerium, Sanctiſſimum Indiarum Apoſtolum. Profectò ſicuti Diuina Fides mirificè amplificata eſt, Regnante Gregorio Tertiodecimo, qui ſecundo poſt ſeptuageſimum elapſi ſeculi anno principatum ingreſſus eſt, ita crediderim, ditandam fauſtiſſimis incrementis, dum poſt centum ferè annos eadem Religione, Magnanimitate, cæteriſq; dotibus ornatus Pontifex Regnum capeſſit. Eoque magis fauſtiſſima quæuis augurari licet, quòd Te nobis non ſine prodigio pacatum aliquando Numen indulſit. Quamuis enim antequam Sacrum Purpuratorum

rorum Principum Senatũ illuſtraſſes, plerique ominati fuiſſent, Tibi deferendum Sacrum Imperium; Quamuis aliàs idem Sapiẽtiſſimum Concilium Heroum, quibus Cardinibus innititur Eccleſia Diuina, perhonorificam de Te ſententiam tuliſſet, cum ad præclaram Legationem ob ineundam inter Potentiſſimos Principes pacem elegit Te (quo quidem tempore patuit, quanta ſit in conferẽdis muneribus Sacri Collegij ſapientia, quod Iulium etiam Roſpilioſium, Optimum in Summo Pontificatu Deceſſorem Tuum, Vrbis Gubernatorem conſtituit, adeoque Duos Supremos Arbitros ſacrarum rerum, eo quodammodo præludio, ac teſtificatione deſignauit) quamuis demum Tua Virtus eximia prouocaret ſummos hono-

res, Tuique omnes admiratione mirificè caperentur, ea tamen inita erat ſeries Conſiliorum, cum Sacri Senatores tramitem ingreſſi erant, inque tàm diuerſas quamplurimi ſemitas abibant, vt prodigioſa videri potuerit animorum de Te eligendo conſpiratio. Deinde verò cum ſupplices acciderunt omnes ad Tuos pedes, & mirabili fœdere ſtudiorum flagitauerunt ex Te, vt præeſſe dignareris rebus humanis, incredibilis demiſſio Animi Tui conceptam ab alijs hominum fœlicitatem penè in ipſo partu eſtinxit. Idcircò in relata de alijs, deque Te ipſo Victoria Diuinum adeo Conſilium triumphauit, vt Adeodatus dicendus fuiſſes, niſi Tibi placuiſſet Clementiſſimum Nomen. Non incaſſum Te per ſumma prodigia nobis

bis aſſeruit Deus. Hinc etiam, præter cæteras cauſas, ſpe præcipimus, fauſtum Regimen Tuum diutiſſimè producendum. Idque ego præcipuè omnibus votis exopto, qui omnia ſumma debeo beneficentiſſimo Tuo in Societatem noſtram, & innumeris argumentis perſpecto, atque explorato animo: præter priuata nomina, quibus mirificè me obſtrinxit Diuinitas Clementiſſimę Indolis Tuæ. Neſtoream pariter Tibi Aetatem amantiſſimè vouet, qui me ad hæc Opuſcula edenda impulit, Egregius Adoleſcens, qui ſingulari gaudio geſtiuit ob delatum Cęleſtibus dotibus Tuis Sacrum Imperium. Deuinctiſſimum Tibi ſuæ domus obſequium, cum olim Neapoli Summi Pontificis Nuncius aderas, Humaniſſima ſignificatione

voluntatis erexiſti: ipſumque accedentem in hanc Regiam Sanctitatis, & Sapientiæ, ante duos annos incredibili comitate dignatus es; ideoq; ob hæc priuata nomina præcipuum à ſe Tibi humillimi cultus Vectigal exhibendum putauit. Hoc verò vt Cæleſti illa Tui vultus Clementià excipias, Beatiſſime Pater, oratum Te etiam, atque etiam velim.

IOAN-

Digitized by Google

IOANNES PAVLVS OLIVA
Præpoſitus Generalis Societatis Ieſu.

CVM Orationem, & Carmina P. Ioannis Laurentij Luccheſinij noſtræ Societatis Sacerdotis in Laudem Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Decimi aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; poteſtatem facimus, vt Typis mandentur, ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. Datum Romæ 6. Auguſti 1670.

Ioannes Paulus Oliua.

HAs Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis X. ingenioſiſſimà Mineruà congeſtas laudes, quà ſoluta quà ſtricta Oratione, ex mandato Reuerendiſſ. P. S. Palat. Apoſtolici Magiſtri maxima cum voluptate perlegi, eaſque publica editione digniſſimas cenſeo. Romæ 31. Iulij 1670.

Chriſtophorus de Auria
Vtriuſque Signaturæ Referendarius.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus S.P. Apoſt. Mag.

AV-

Digitized by Google

AVTHOR LECTORI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORATIONEM hanc premere omninò decreueram, ut argumento imparem ſuo, quæque obiurgare potius, penè dixerim, audet, quàm commendare Celeſtes Optimi Pontificis prærogatiuas, aut illas certè vix innuit curſim. Neque verò eadem amplificari facili negotio poterat, niſi ſeries, adeoque argumentum ipſum immutaretur, præſertim cum innumera quotidie à Sãctiſſimo Principe Diuinarum Exẽpla laudum exhibeantur, quæ copioſius multò eſſe cogerent Orationis incrementum, quàm ſint veſtigia illa, quibus inſtitit pri-

b 4 mò.

Digitized by Google

mò. At carmina ex tempore effuſa, quæ teſtem omnium Sanctiſſimum habent, vt in ſimili cauſa Statij verbis vtar, hoc ipſo honore contenta, quod videlicet oblata ſtatim fuiſſent Sapientiſſimo Pontifici, cæteroqui deliteſcere amabant. Non obſequi tamen non potui quamplurimis Præclariſſimis Viris, & humaniſſimo Adoleſcenti, à quo laceſſitum præcipuè me fuiſſe ad hæc Typis concedenda; accepiſti, Candide Lector, ex Epiſtola Nuncupatoria ad Sanctiſſimum Clementem. Habes igitur, quam Orationem in Aula Maxima Collegij Romani ad Eminentiſſimum Principem Palutium Cardinalem Alterium, & Excellentiſsimos Principes Gaſparem Alterium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Generalem, & Angelum Pontificiarum Triremium Præfectum, in Corona ferè omnium, quotquot Romæ aderant, Præſulum Illuſtriſſimorum, venuſtiſſimè dixit

D. Ray-

D. Raynaldus Aquauiua Seminarij Romani Conuictor. Eam licet nullo penitus immutato verbo tuis oculis ſubijciam, diuerſa tamen profectò videbitur ab illa, quam Ingenioſiſſimi Adoleſcentis vox animauit. At de huius editionis Authore niſi pauca præfarer, ingrati omnino animi notam ſubirem. Iure conqueritur Scipio Ammiratus, conſuetum Spinellæ Genti fuiſſe, præclara ſua decora diſſimulare, cumque alij Neapolitani Proceres exhibere ſibi vltrò conſueuerint domeſtica gloriæ monumenta, nihil à Principibus hiſce Viris extundi ab ſe potuiſſe. Sed enim ex ijs, quæ occultare ipſorum modeſtia non potuit, arguere licet cætera ornamenta ſtirpis heroicæ. Conſtat ex publicis tabulis, ante quadringentos omnino annos illuſtri Comitum titulo decoratam illam fuiſſe, Fiduciarijs Oppidis, Aquinatum Comitum propè regali Conſanguinitate:

ac

ac deinde adultam per omnes laudes ſub Andegauenſibus, Aragonijs, & Auſtriacis Regibus, à quibus Spinelli Principes, Conſilio, Manuque præſtãtes non ſemel Exercituum Imperio ſunt admoti, & amplificata latiſsimè eſt illorum ditio; adeo vt Cariati tantùm Principi, præclariſsimo videlicet Triumphalis Arboris Ramo, præter Oppida quamplurima, & Pagos, pareant Vrbes omninò ſex. In his Carolus Cæſar hoc nomine Quintus Heroum Phænix, cum per Calabriam iter haberet, Regio paratu exceptus, operto coram ſe capite ſtare voluit Ferdinandum Spinellum Caſtrouillari, & Cariati Ducem: nec abſimilis honor habitus exinde eſt Carolo, & Ioanni Baptiſtæ, ob egregiam nobilitatem, & merita; ac præſertim quia per annos quamplurimos triremes duas in hoſtes fidei ære priuato muniuerant. Sed aliena decora receſſere iniuria maximarum D. Ioannis

Bapti-

Baptiſtæ Virtutum videri poſſit. Enimuerò ità excolit animum incredibili ſtudio Sapientiæ, ita ad omne officium Vrbaniſſimis moribus demittit ſublime Genus, adeò Religione in Deum, Prudentia, Moderatione, nobilium Tolerantia laborum ornatur, vt ex ferè bis mille Adoleſcentibus, qui Gregorianā Academiam frequentant, nulli confidentius ominari liceat præclaros honores Sacræ Reipublicæ. Si teſte Vate, qui carminibus complexus eſt belli Ciuilis Hiſtoriam,

Cæſarue priorem;

Pompeiuſue parem,

iniquè ferebant; à nullo ſuccenſeri mihi poterit, ſi dixero: non deeſſe, qui parem de ſe, ac Ioannes Baptiſta Spinellus concitauerit ſpem, deeſſe qui maiorem. Illam etiam amplificat Materni Generis claritas, qua Romanæ Nobilitati miſcetur arctiſſimè, qua Sabellos Principes,

Vrſi-

Vrſinos, Pamphilios contingit adeo, vt ijdem omni ſtudio daturi operam ſint ad illius honores amplificandos, qui Sabelli Principis Amità natus, quinque Romanorum Pontificum indolem hauſit, & vnius ſupra triginta Principum Purpuratorum.

Cum

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Cum Sanctiſſimo Pontifice CLEMENTE DECIMO RECVSANTE IMPERIVM EXPOSTVLATIO

DICTA

A D. RAYNALDO AQVAVIVA
Seminarij Romani Conuictore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD faſtigium dignitatis elata eſt Chriſtiana Religio: Salus publica triumphauit. Pontificem illum ab vlnis Cœli cunctantis extorſimus, quem nondum Sacro Purpuratorum Patrum Senatui adſcriptum,

communia omnium præſagia, priuata ſingulorum ſtudia, & Regnatricis præſertim Vrbis vota Diuinitatis Vicarium deſignabant. Poſt diuturna Comitia, in quibus mora pretium addidit electioni pulcherrimæ, Æmylium Cardinalem Alterium Diuini Proregem Numinis adoramus. Si quis ex illa ſuperbiſſimorum hominum turba, quos naſci Reges oportuit, ea illos exagitat libido librandi fata Regnorum, incertus animi fluctuauit, an ſingulari ſuffragatione præſentiſſimi Dei Romani Pontifices renuncientur, illud in præſentia inficietur, ſi omninò è mentis ſtatu deiectus haberi velit. Cœleſtis Triumphum Prouidētię fuiſſe, de Clemente eligendo conſenſionem animorum, ambigit nemo. Diutius pugnandum cum Modeſtia

deſtia Principis fuit, quàm laborandum, vt in illum omnium ſuffragia conſpirarent. Intra breuiſſimi temporis anguſtias initum eſt conſilium erigendi Chriſtianam Rempublicam, hunc illi Sacrorum Præſidem ſtatuendo; ſed plures horæ fluxerunt, dum precibus, querelis, lachrymis, iniecto religionis metu, auertere à ſe ſummam fortunam contendit. Vicit publica Fauſtitas: & quandoquidem crimen eſſe dicebat, ſi cæteris ipſe præficeretur, Sanctiſſimo conſecrari crimine voluit Purpuratorum Senatus. Tuis Te armis aggredior, Sanctiſſime Princeps, & quoniam, ſuſcitato criminis metu, alios deterres, ne Tibi tradant Imperium, in medium affero præcipua nomina, quibus culpæ Tibi vertere debes hanc ip-

ſam Imperij fugam. Quàm ineptus Orator videri poſſum, cui cum exultandum eſſet in ampliſſimo Egregij Principis laudum campo, eundem magni facinoris arguo? Sedenim cum illo humani generis nomine expoſtulandum eſt, quod, cum ſe ad Rempublicam acceſſurum negaret, propemodum funeſtauit. Neque temporis, & ingenij vitio deterendæ ſunt laudes, quas Clemens Optimus auerſatur, quæque infinitæ cum ſint, nequeunt omninò breuiſſimæ finibus orationis includi.

Ac primò quidem tàm ſplendidè abutor Clementia Tua, Pontifex Optime, vt cum de ſeueriſſimo illo Tuo Sacri Regni contemptu dicturus vnicè accedam, quemque multiplici de cauſa Tibi piaculo vertam, illum ſaltem admirari nolim,

velu-

veluti fortis, magnique animi inſolitum documentum. Cum enim ab ineunte ætate horas quotidie plurimas Diuinis colloquijs conſecraueris, cui prodigioſa videri poſſit deſpicientia, quam exhibes, rerum humanarum? Illis, quibus intimæ cum Deo neceſſitudinis vſus interceſſit, quique contentione mentis aſſidua Seculis, & Imperijs immortalibus interſunt, parum pellacem ſui ſpeciem ingerunt ea, quæ cæteris hominibus eximia, & præclara videntur. Idcircò cum Diuini iucunditate congreſſus in quàm longiſſimum tempus quotidie frui conſueueris, prodigij loco ducerem, niſi deſpicatui haberes ſuauem ſenſum, quo in animum illabi ſolet humani nectar Imperij. Verùm hoc ipſo nomine, plerique reponent, admira-

tionem Clemens laceſſit,quia vſque adeo Cæleſtem indolem hauſit, vt vulgaria penè in illo videri debeant, quæ in cæteris ſunt prodigioſa mortalibus. Vtcumque iſta ſe habeant; ſtupore certè defigere nullum debet ſupremi honoris contemptus, quem in Te plerique ſuſpiciunt. Atque vt seriò cauſam ingrediar, admiratione potius vnumquemque defigat multiplex criminis ſimilitudo,qua ſe Princeps Innocentiſſimus, Sacrum Principatum ſubterfugiens, obſtringere meditatur.

Culpæ Tibi non darem iniuriam, qua violare videris præclariſſimam Patriam, in Te, ſi annuas, regnaturam; niſi eius damna eſſent pariter vulnera Reipublicæ, quę ſolet egregiè temperari ab illis,qui primo Romani Solis intuitu,primoque hauſtu

ſpiritus de hoc Cælo, humanis omnibus, & Diuinis laudibus ornatiſſimo, virtutum illuſtria ſemina contrahunt, & ad Romanæ laudis, & veræ gloriæ ſtudium celebritate Maiorum, & fama excitantur. Non arguerem conſilium fraudandi Nobiliſſimos Proauos Tuos honore illis in Te delato, niſi pietas in Parentes commendata nobis diuinitus eſſet, & inſita penitus à natura: Niſi ab ijſdem bellicoſiſſimis Viris, & Exercituum Imperatoribus, aſſuetis mercari gloriam profuſione magnanimi ſanguinis, edoctus fuiſſes, non reſpuere decus vltrò Tibi collatum, ſiquidem per vrbanas artes ſtudia pacis agitare voluiſti: Niſi debuiſſes ijſdem ſolatium extinguendi in Te virilis præclariſſimi germinis. Quod quidem non abs re con-

tigiſſe crediderim, ſed quia Maximis Heroibus fœcunda Maiorem gignere ſtirps inclyta vltra non poterat. Sed hoc facilè dilues crimen, neque enim effœta dicenda eſt Arbor Regalis, in qua egregium aliùs lectiſſimæ ſtirpis germen inſeritur. Nullus tamen non admiretur, quod cũ Duos Germanos Fratres ad Supremũ Apoſtolici Principatus Apicem eximia virtus, & publica deſtinatio inuitaſſet, parum tamen abfuerit, quin Præclara Domus hac laude deſtitueretur, cum alteri immaturæ mortis inuidia, ſuus alteri Pudor, & incredibilis Demiſſio animi Supremum ſacri honoris culmen ademiſſet.

Vt ex hoc tamen fonte in Te non deriuaueris noxam, aliunde magni criminis inuidia flagrabis, eluſæ vi-

deli-

delicet publicæ omnium hominum vocis, quæ haberi ſolet Diuinum Oraculum. Sacram humani generis procurationem Tibi plurimorum Auguria decreuerant: nec vnquam de conferendo Reipublicæ regimine Præſuli non dum inter Purpuratos Patres relato, adeo conſtans omnium animis inhæſit opinio. Camertes Antiſtes Optimus moderabaris: Non exiguam tantùm ſacræ domus partem, (quam Italicum egregiæ illius Vrbis indicat nomen) ſed vniuerſum, quà latè patet, Chriſtianum Orbem temperandum à Te fama aſſerebat. Pontificis Nuncius Neapoli aderas. Præſenſere Ciues mei, Legationes à Te rerum olim potito deſtinandas ad potentiſſimos Europæ Reges, imò etiam ad Sinas & Braſilos ſacris legibus

gibus

gibus informandos. Deceſſoris Tui Cubiculi Præfectum agebas: Non Pontificiæ tantùm, ſed & Cæleſtes quàm primùm Fores à Te recludendæ omnium erant votum, & præſagium.

An verò vllo excuſationis clypeo à Te auertere poteris criminis notam, quam incurris, Dei, hominumque præſenſiones fruſtrare conatus? Ætatem prætendis, & fractas ſenectutis incommodis vires? Grauis illa quidem eſt, cum Seculi vel infortunia, vel crimina Tuam huc vſque eximiam virtutem Regno diſtulerint. Sed quò breuior futura eſſet vſura magnæ virtutis, eò ambitioſius expetenda eſſet à Republica Præſtãtiſſimi Principis virtus. Quid quod breuem fore quis metuat fœlicitatem, quam prodi-

gioſè nobis Cælum indulſit? Suorum munerum Superos optimos non pænitebit. Oblatos Tibi certatim à ſubditis Populis annos viues. Conſuetum Alterijs Heroibus prætergredi Seculum. Ex quibus ille, quem Nobilē & Longæuum virum dicit inſcriptio ſepulchri in Templo D. Mariæ ſupra Mineruam, attigit ætatis annum Decimum ſupra Centeſimum, ad eam vſque diem optima ſemper valetudine vſus. Nulla Tibi, Virtutis merito, sũt Senectutis incommoda, quia nullo attrita luxu Iuuentus fuit. Pedibus incedis Tuis: Obequitantem Vrbis pomærium vidimus nuper, cum Sacra Diuorum Templa ſupplex inuiſeres. Non Te obtundent Sacri Regiminis curæ, quia abhorrentem à voluptatibus vitam perpetuò ſequutus, &

labo-

laboribus innutritus,continuatis ne-
gotijs,& in ſe quodam orbe redeun-
tibus ſemper exercitus es. Non in-
fauſti,qui forte contingerent,rerum
euentus,perturbare poſſent acquieſ-
centem in decretis Diuinis Sapien-
tiam Tuam, & Mentem ab Olym-
pi vertice adumbratam,quem nulli
vnquam ventorum, aut imbrium
impetus concitarunt. Enimuerò
viridis ille, & integerrimi Corporis
vigor: Perpetuæ illæ Animi feriæ,
& ſtatus honeſtiſſimæ quietis, &
Alcedonia placidiſſimæ pacis,ſpon-
dent, Chriſtianam Rempublicam à
Tuo Imperio diutiſſimè fortunan-
dam. Fruſtra ergo ætatem præte-
xis, vt à Te recuſatæ tutelæ generis
humani querelas amoliaris.

Non ſatis à cæteris dotibus mu-
nitum, adeoque imparem Te præ-

claro

claro Muneri dicis, vt culpa carere videaris? At nullus vnquam eximium adeo præ ſe ſimilitudinis Diuinæ ſpecimen tulit; ideoque nullum vnquam maior famæ conſtantia Diuinis obeundis vicibus deſtinauit. Mitto inſtitutam à primis annis ſanctiſſimè vitam. Quid commemorem Sapientiam ſingularem, & omni doctrinarum genere excultam, ijs præcipuè, quibus homines temperantur? Quid de ſolidiſſima in iudicando prudentia loquar? Recenſebo cæteras dotes? Ingenium Clementiſſimum, & in quo difficile, & moroſum nihil, ſed nihil præterea molle, & in ipſa ſuauitate languidum, & remiſſum nihil: honeſtatis denique perpetuum lumen, eodemque ſemper tenore productum integerrimæ colorem vitæ.

Pau-

Paucis plurima amplectar, ſi eorum Te Præſulum Ideam fuiſſe dixero, quos publica fauſtitas ad Sacrum Imperium depoſcit. Adeſte animis, Auditores, dum rem maximam paucis conficio. Si quis ad altiſſimum exemplar conformet Romanum Pontificem, duas, vt arbitror, quæ raro conſortio conſpirant, in illo exiget prærogatiuas: Vt videlicet diuturno congreſſu Deum alloquutus perpetuò fuerit; qui enim alterius Principis partes ſumpturus eſt, illius ingenium, & indolem induiſſe penitus diuturna cum eodem conſuetudine debet: Vtque in rebus humanis exercitatiſſimus ſit, ne plurimorum incommodo regnare diſcat in Regno. Vbi alteram ex his laudibus deſideres, vix parem inuenies Imperio ampliſſimo, & Sacroſan-

ſancto. At ſi vnquam mirabili fœdere conuenerunt, ſupra votorum audaciam illas in Æmylio Alterio venerati ſunt, qui eundem, fruſtra reluctantem, Rempublicam capeſſere coegerunt. Vultis præteritas illius diurnas, nocturnaſque curas inſpiciamus? Planè vultis. Poſt nullas ferè veſpertinas epulas, breuiſſima quiete contentus, vna, vel altera poſt noctis medium hora, vel ſumma hyeme, ſurgere conſueuit è ſtrato, & horas exinde plures protrahere cum Diuinitate colloquiũ: Tùm Sacras ad Aras ſummo mane religioſiſſimè, & ſæpe non ſine lachrymis quotidie operari: Et vniuerſam deinde diem tranſigere in ærumnoſiſſimis laboribus pro cuſtodia publicæ rei: Sique vllum ab ijs tempus vacaret, repetere ſtatim in ſacris

cris precibus profuſam in ſe Numinis indulgentiam; adeo vt meminerim ante plures menſes me audire Præſulem Sapientiſſimum, aſſerentem: nullum ſibi vnquam, ne ex ipſis quidem intra religioſa clauſtra receptis viris, innotuiſſe, qui maiori Diuini colloquij ſtudio, quàm Æmylius Alterius caperetur.

Diuerſamne Sanctiſſimi Eccleſiæ Patres, dum in terris agerent, vitæ rationem inſtituerunt? Timida nimium, & exilis eſt oratio noſtra. Diuerſam, propè dixerim, inſtituerent, ſi ex Diuina digreſſi Romanam aulam repeterent Sanctiſſimi Patres? An perperam affirmauimus, Ideam Te, Cæleſtis Indolis Princeps, illorum Præſulum eſſe, quorum Imperio teneri ambit Orbis terrarum? Neque conſcientiæ mo-

tu

tu conflictaris, dum in Tuum ſinum conuolantem Rempublicam auerſaris? Dum omnem lapidem moues, ne Tibi ſacrum decernatur Imperium? Neque enim Cunctatio illa Tua fuit, ſed Horror, & Execratio, & Animi Fuga, ſiquidem Corpus obſidentium Te Purpuratorum Principum Auguſtiſſimo carcere includebatur.

Sed fruſtra in maximam notam incurris, molitus vniuerſum propemodum addictorum Chriſto hominum genus hac Tua repulſa conficere. Quamuis auia Siluarum, & Montium concaua Te abdidiſſent, prodigioſas, auſim dicere, rurſus Columbas, aut Cæleſtis ductum flammæ ſequuta è latebris Te flagrantiſſima omnium ſtudia eruiſſent. Nimium quantum infauſti hu-

Digitized by Google

ius Seculi intereſt, ad gubernacula accedere Virum, qui ad Diuinæ ſimilitudinis indolem probè præcultus, & magna in orando facilitate Numinis vſus, conciliare mortalibus Superos poſſit. Qui Princeps magnam ſemper habuit cum Diuinitate rationem, omnia extorquebit ab eodem in ſe indulgentiſſimo Numine. Quidquid non rapiet Turca ob occupatam Cretam ſuperbiens, quidquid non atterent Scythæ, quidquid non turbabit Batauus, id penitus tribuetur Tibi opem ferenti Sanctiſſimis precibus Reipublicæ laboranti.

Infælicium, quæ ab Eccleſia Diuina auertere detrectabas, fatorum conſcientia oppreſſus fuiſſes: incurriſſes in crimen eiuſdem ſpoliatæ lucris innumeris, quibus Te regnan-

gnan-

gnante ditabitur. Si Tyranni barbari nobis inſtarent, Magnum illis Leonem obiceremus, quia parem in Te Cæleſtis animi Conſtantiam intuemur. Si Principes, fidei ſuæ dedecus inurentes, Eccleſiæ dignitatem labefactare contenderent, in Te Septimi Gregorij virile robur, & Magnanimum pectus experirētur. Si Vigilem ſollicitudinem, & perpetuas curas infauſtum Seculum requirit in Principe, Magni Gregorij Vigilantiam deſiderabit nemo. Huiuſmodi commodis rem ſpoliatum publicam ibas, nec vocari formidabas in inuidiam eiuſdem euerſæ?

Atque vt ex ijs, quæ primos Sacri Principatus dies illuſtrabunt, exempla petam, fortaſſe non adimendi dicatis diuino cultui hominibus vectigalis, ſi à gubernaculis receſ-

ſiſſes, collata in Te culpa fuiſſet. Egregiam ſtatim publicæ fælicitati nauabis operam, Iuſtitiæ curam auidè amplexus, moribus exornans, emendans legibus quæcumque corrupta, vel ægra eſſent in Sacro Regimine, & iacentem præſertim Virtutem extollens. Ad hanc erigendam cum Te induceret præclara Indoles Tua, & ad ſacra munera viris optimè meritis, & à publico honore ceſſantibus conferenda, affinis culpæ omninò fuiſſes, hoc illos prœmio fraudando, dum adminiſtrationem ſuſcipere detrectabas.

Præſertim verò veniſſes in crimen erepti Reipublicæ Prçſidis Eximij, Palutij Cardinalis Alterij, quem hìc vniuerſæ Vrbis plauſus veneratur, quique illam Tuo ductu, Imperio, & auſpicio præclariſſimè gerit.

Quod

Quod aggrederis facinus, Pontifex Optime? Si tàm illiberaliter ipſe contemnis Imperium, hunc Virum Reipublicæ inuidebas, Generis, Ingenij, Doctrinæ, Virtutis, Sapientiæ, Religionis, Honorum dignitate ſingularem, ac Romanæ Purpuræ ſplendore iam diu florentem? Qui ſimilitudinem in ſe præſtantiſſimæ mentis Tuæ moribus effingit? Cui vigor Principe dignus, & Iuſtitiæ tenaciſſimum ſtudium indolem format, quam publica fauſtitas exigebat. Communibus omnium ſermonibus circumfertur Mens illa maximæ cuiuslibet molis capax, Conſilia ſapientiſſimi oris, eximium ſtudium Veritatis, quo nullum inani ſpe lactat, & aulicis verbis ſuſpendit, contra plurimorum Principum morem, Summa in conficiendis ne-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

gotijs celeritas, qua oblata ſingulis munera geminantur, Æquabilis in vtraque Fortuna tenor vitæ, gratiſſimus Animus, ac Regalis, perpetua ſtudia publicæ rei bono addicta, Integerrimi, & Candidiſſimi Mores. Neque verò vt in alijs Rempublicam aggreſſis, quonam euaſuri ſint, ſpe præcipimus, auidi expectamus; ſed intuemur iam aſſecutum apicem Imperatoriæ virtutis. Alios Regimen ipſum excoluit, donatos Purpura in aditu ipſo Regiminis: Hunc Purpura exornatum, & laudibus excultum omnibus Regnum accepit; vt proinde ineptum ſit admirari, quod in Republica temperanda ita prima ipſa die conſtantem, & imminentem curis illuſtribus operam Magno Clementi præſtiterit, perinde ac ſi ad rem adminiſtrandam publi-

publicam ante plurimos annos ſe contuliſſet. Vtcumque, Sanctiſſime Clemens, optimè de genere humano meritus ſis, nullo illud nomine magis obſtringitur Tibi, quàm quòd hunc Tecum Virum aſſidere clauo decreueris. Vſque adeo præſtat, præferendum omnibus eligi ex omnibus. Præſtat, Conſilij partum eſſe, veluti Deus ipſe mente Sapientiam parit, à qua Regna omnia temperantur. Hæc tu, à Sacro Imperio velis remiſq; fugam capeſſens, Chriſtianæ rei commoda cum inuideres, mirum, ac magnum à Te facinus adornatum fuiſſe abnues?

Itane verò quia Tecum pulcherrimo nexu coniunctæ erant illius virtutes, merito prœmio fraudandas arbitrabaris? Perinde ac omnes in Te ipſo regnantes Cæleſtes do-

tes proculcabas. An in crimen venere Diuinæ Virtutes, eo quod in Tuo Animo Regiam ſtatuerint, vt proinde in Te coronari non poſſint? Quid ſaltē in Te admiſit Chriſtiana Reſpublica, vt illi ſubtrahere debeas Triumphum, quo, Te renunciato Pontifice, ſuis hoſtibus inſultabit? Dolore contabeſcet, furoris inſania ringetur Hæreſis, dum audiet, tandem coactum præſidere rebus humanis Heroem, quem ipſa Inuidia vereri ſemper coacta fuit, & in quo Sole ne fingi quidem labes vlla vnquam potuit ab oculis venenatis. Hos Te Catholicę Fidei Triumphos adimentem magni criminis conſcientia non percellit?

Quæ cum ita ſint, Chriſtianæ Reipublicæ nomine gratias agimus immortales Senatui Sapientiſſimo

Pur-

Purpuratorum Principum, quòd tutelam Sacrorum, & Chriſtiani Orbis fata ſuſcipere coegerint meritiſſimum Virum, & gentibus viuere, non tamen oblitum ſui; nullus enim fælicius ſempiternæ ſuæ conſulit fælicitati, quàm qui eandem cæteris omnibus mortalibus elaborat. Cur priuatis Tuis affectibus blandirentur, cum Dei, hominumque ſententia fuerit, vt inſtaurandum virtute Tua Regnum acciperes? Supereſt, vt in extrema Oratione ſpondeam Quiritibus, eundem Te in Regali Sacerdotio futurum, qui fuiſti Præſul, & Purpuratus. Vtcumque vellet, nihil in Te poterit mutare Fortuna; nimium enim diu Sanctiſſimis moribus aſſueuiſti. Nihil in Te quæſiti per ſimulationem decoris; nihil populis, & famæ

plau-

plauſibus datum: vnicum ſtudium diſſimulandi eximia ornamenta Animi Tui. Non prima tantùm ſpecie blandientes, ſed cordatas, & robuſtas in Te Virtutes adoramus. His indiget publica Fauſtitas: hæc Indoles eſt verè Romana: hanc Populi exigunt in Principe, qui non breui deſituræ Famæ plauſus inanes in aditu Principatus mercetur ſibi, ſed ſolidam populis ſalutem, & incolumitatem reſtituat, cuius proles futura ſit ſui Nominis Immortalitas, ambitu ſeculorum omnium coronanda. Has Diuinas Tuas dotes, quas ne detereret, attingere non fuit auſa Infantia noſtra, integras, illibataſque relinquimus ijs, à quibus Magiſtris informamur, deuinctiſſimis Tibi, qui earundem Hiſtoria Sacros Romanorum Pontificum

faſtos

Digitized by Google

faſtos mirificè locupletabunt. Tu verò, Pontificum Optime, & Humaniſſime, veniam dabis, ſi ob conſilium, quod iniueras, deſtituendi Chriſtianam Rempublicam præſidio Tuo, magni Te criminis, ipſius Reipublicæ nomine, inſimulauimus.

Digitized by Google

CARMINVM PROLVSIO

DICTA AB ALEXANDRO CASALIO.

CAeleſtem Proteum fuiſſe dixeris diem, qua Maximus Clemens coronatus eſt, ſi enim formas ſe vertit in omnes, vt fabulantur Poetæ, cæruleus ille maris Vates, optatiſſima pariter hæc Dies multiplici ore videndam ſe Quiritibus præbuit. Aurora Nubibus obducta fuit. Raris itidem Nubibus obſitus aer, dum Purpurati Principes peterent Vaticanum. Mox, dum Solenne fieret Sacrum à Sanctiſſimo Pontifice, ſine vllo Tonitrui ſtrepitu, aut Venti murmure, tenuis Imber identidem decidit: identidem modeſtus è Nubibus prodiuit Sol, qui deinde exultantior protulit frontem, cum exornatus Triplici Diademate fuit Optimus Princeps. Prodire viſus è Sypario eſt Siderum Cæſar, vt ipſe pariter vnà cum infinita mortalium vi ante Coronatum Diuinitatis Vicarium procumbente cultum exhiberet illi, qui diſperget cum Sole beneficas humano generi manus. Obſequio deinde

inde ſuo perfunctus,ſub Nubes iterum receſſit. Hinc anſa nobis oblata, illas tantùm ex innumeris Optimi Principis dotibus carmine repræſentandi, quæ ex Multiplici triumphalis Diei ore innuuntur. Quid, inquies, Imbri, & Nubibus cum ImperijFuga,cum perpetuo ſacrarum Precum ſtudio, & cæteris Egregij Principis prærogatiuis? Aliquo hæc pacto fortaſſe conuenient, & Philoſophica plerumque ratiocinatione vnum ex alio inferetur: Arcanis fœcunda ſunt quæcumque Deum circumſtant,ac Deo ſimillimos Principes. Præfari tamen interea cogimur, defloratam eſſe in præſentia, qua vnicè tueri ſe poterant noſtri luſus, gratiam celeritatis. At cum illi, triduo poſtquam Cæleſtis Proteus Romam exhilarauit, delati ſint ad pedes Magni Clementis, à nobis culpam non abſuturam credidiſſemus, ſi ſplendor elegantiæ vllus illis fuiſſet appictus, dum ſubijciendi nunc erant oculis, vtcumque eruditiſſimis, cæterorum, quo exornati nō ſunt, cū primò ſubiecti fuerūt oculis Pontificis Sapientiſſimi. Hæc porrò carmina dixerunt Egregij Adoleſcentes,

Ale-

Alexander Caſalius.
Antonius Ottolinus Seminarij Romani Conuictor.
Attus Celleſius Seminarij Romani Conuictor.
Gabriel Perla Seminarij Romani Conuictor.
Ioannes Marcus Paggius.
Ioſeph Floridus.
Ioſeph Hache.
D. Raynaldus Aquauiua Seminarij Romani Conuictor.
D. Reſtainus Cantelmus Seminarij Romani Conuictor.
Vincentius Fazzinus Seminarij Romani Conuictor.

Cæterùm quemadmodum ineptos Arbitros ingeniorũ teruncij facimus, ita præſtantium Poetarum cenſuram veneramur:

Hi preſſos incude maligna
Diffingant verſus: horum ſub pollice vultum
Ducat Apelleum rudis, informiſque Camena;

Ho-

Horum aliquis feriat: dextrã ferientis adoro.
Muſarum à ſacris aluèaribus arceo fucos,
Ignauũ pecus, & ſtomacho tunc ſurgit orexis,
Aggreditur quando Muſas is forfice, Apollo
Quo minui Admeti nollet tonſore capellas:
Aude aliquid cedro dignum: decoctius affer,
Illepidũ, & craſſum dein carmẽ, Critice, carpe.
Non tu Mercurij, quod fingo, probas ſimulacrũ?
En ſiluam: molire aliud: talaria, vultus
Exprime furaces, lignoque imitare crumenã.
Voti, inquis, modicus fungar vice cotis, acutũ
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecãdi.
Eſt, qui de tabulis Zeuſis Ioue iudicat æquo,
Nec phiala ſuper appoſitè depinget Iacchum.
Te certè peregrè rapuit non pictus Iacchus.
Pictorẽ haud illũ ars ſua, te eſſe iubet tua Vatẽ.
Hinc te quando tuum conari carmina adegit
Munus, & infælix ſubeunda tibi alea, palle
Ceu Lugdunẽſis Rhetor: dein tetrica quinque
Ora feris claudas, exoſa pericula vitans.
Quod placeat carmen, plus temporis, atque olei plus
Quærit, ais? Fabium cunctando at vincis, & Vrſæ
Partum infælicem quarto eluctaberis anno,
Nec vinces, vna quem nocte effuderit alter.

Tu-

Tuque audes, canis, excuſſo ſuſpendere naſo
Quoſcunque haud triſti Vates mors intulit
vrnæ?
Vitam agitat? Nigrum Vati celer alline ſignũ.
Quid ſi nequaquam iuuenetur verſibus? Atrũ
Allinis? Elimat doctâ mors carmina falce?
Ante obitũ Patris eſſe nequit formoſa propago?
Si Pater intereat, Therſites Nirea vincet?
Phœbe Pater, cunctare, lyrã in ceruice proterua
Frangere? Quandoquidẽ benè viuitur ambi-
tioſa
Paupertate: Alios prudens ſpoliato Poetas,
Vt volucres Cornix: Alienis, Critice, pennis
Haud vnquã tolleris humo; vſq;adeo tua cæno
Infixit te ſegnities. Atque exedat omnes,
Omnia, qui tela inuitat? Qui carmina palmo
Metitur, Phœbi poſſit Collega videri,
Tantùm audet verbis? Caſtiget barbara dicta
Verna Mycipſarũ? Vatum capita ardua calcet,
Vilis adulator vulgi; nam vulgus adorat
Contemptor Regum, vulgo quos æquat inerti.
Quid caput intorques cerebroſum, & magnus
haberi
Poſſe putas, alios rides quòd naribus vncis?
Morde aliena probris: quater expue. Concio
num te.

Lu-

Luſurum meliora putet ſtantem pede in vno?
Liuida quin animi putat argumenta puſilli,
Et qui deſperet, quas audet carpere, laurus,
Vtque blitū, in proprio ſucco à liuore coquatur.
Me tua commendat ſatyra. Haud tibi Muſa, probatur?
Ergo probanda. Suo niſi te fulgore perurant
Illaudata alijs permittes carmina inepta
Sponte mori. Laceras? Populi famam ergo laceſſunt.
Mordeor? Exulto. Eſt, Perſi, qui velle recuſet
Os Cynici meruiſſe, adeo mihi cornea fibra eſt.

Hæc per ludum dicta ſint in hos Palladiæ aulæ tortores, qui artem omnem Rhetoricã in Hypercritica ſitam eſſe arbitrantur, quamuis in hoc ipſo artificio ferendi cenſuram de alienis operibus egregiè peregrinentur. Hinc, quodcunque in lucem prodeat Carmen, verbis, vt aiunt, Herculis illud inuadunt, & ex iactis in alios maledictis laudem quærunt, quam ex editis in lucem monumentis ingenij ſui aſſequi ſe poſſe deſperant. Horum obiurgationis ambitu honeſtiſſimo incendimur: illa enim eſſet argumentum præſtantiæ alicuius in ſcribendo noſtræ. Et

fortaſſe vnum, aut alterum ex his Seſqui-catonibus ſperare poſſumus, qui ſuis nos conuitijs exornet; cæteroqui enim humaniſſimos fore Lectores ominari poſſumus, cum argumenti ſplendor, & gloria publicum nobis fauorem, & quāplurimos huius Editionis ſuaſores conciliauerit. Hos, quibus obſequor, illuſtres Poetas profectò non latet, à Scriptore Epigrammatum non quærendam illam, quam Sfortia Cardinalis Pallauicinus eſſe dixit notam cæterorum præſtantium Authorum, vt videlicet ſi fortuitò ſemel, iterumque, ac tertiò liber à Lectore aperiatur, ſemper incidat oculus in egregium aliquid, & ſingulari laude dignum, qui enim ex breuis huiuſce carminis Scriptoribus aſſequuti hoc fuerint, oppidò paucos inuenies. Id verò magis arduum erit, ſi idem ſit argumentum carminum omnium: ſique eadem exornatiua ſint; facilius enim aſſurgunt Vates, ſi aliena crimina morſu appetant erudito: ac demum ſi ſponte pedicas Author inſerat ſibi, ſi videlicet non ex quouis fonte, ſed ex pluuio tempore, vel ſereno inferat Sanctiſſimi Pontificis prærogati-

gati-

gatiuas. Sed enim leuis, inquies, ingenij fuit, has ipſas ſibi compedes inijcere. Itane verò, à quo exempla duximus, Principem Poetarum nobiſcum carpis? Ille enim ſui Cæſaris laudes eruit à ſereno die, qui poſt noctem perpetuo imbre funeſtatam exhibita à Cæſare Auguſto ſpectacula exhilarauit.

Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula mane.
Diuiſum Imperium cũ Ioue Cæſar habet.

Sed profectò has tibi ipſe compedes non inijcies, qui ne ſine ijs quidem volare potes Dædaleis alis ingenij. Demum vt ex vero profitear, quod per ludum, aut per inſignem modeſtiam protulit Martialis: Si mediocria hìc multa, mala quamplurima, vix vllum fortaſse bonum carmen inuenies,

Aliter non fit, Auite, liber.

EPIGRAMMATA.

Ex eo, quod Sol fuerit obſitus Nubibus, ac deinde ſerenus illuxerit, inferimus, Optimum Principem eodem AEMYLII nomine in Regno appellandum.

QVi nunc AEMYLIVS fuit, Latini
Oſtri gloria, nunc & Vrbis Almæ,
Et Mundi Pater eſt. Benigniori
CLEMENS nomine dicitur. Pelaſgo
Sed vim nominis vtriuſque fonte
Si quæris, retinet vetuſta blandus
Princeps Nomina. Dicimus Latini
Clementem, Aemylium vocant Pelaſgi,
Clementem quoties vocant: Eodem
Ergo nomine nuncupatur idem
Clemens, Aemyliuſque. Nube ſeptus
Squalebas modo, Phœbe, quem videmus
Vultu nunc hilarem ſereniore,
Nunc mitem; fueras ſed ante toruus.
Idem at lumine blandiente ſemper
Princeps Optimus eſt, fuitque Clemens.

Tem-

Tempeſtiuè accedendum ad ſacrorum munerum functiones, inferimus Ex Nubibus, & Pluuia.

QVI flore primo lucis exilit ſtratis,
Perfuſus Imbre nullo, ad inclytum Templum
Proceſſit; at ſerus ſoporis excuſſor,
Multo imbre madidus Aetheri dedit pœnas
Ignauiæ: edocere viſus eſt Imber,
Quàm primùm inerti eſſe à quiete ſurgẽdum,
Et Templa ſacra quantocyus frequentanda.

In Cæleſtem Proteum, & huius ſæculi infortunia.

NIgranti heu nimium, Princeps, quia tempore regnas,
Obſcuro, viden, vt Nubila in Axe rigent?
Sed quia fata ſerenabis mortalia, per Te
Fulgebit Phœbi lumine clara dies.

In Pluuiam, & Hoſtes Fidei electionem Summorum Pontificum calumniantes.

LEmana lugeat Excetra, irritum virus
Vomens in aſtra. Pontifex ſalutatur
Alterius. An triumphus in ſacris faſtis
Hoc maior inuenitur? Aſſequor cauſam
Pluuiæ hodiernæ. Romæ hic hoſtium eſt fletus.

In Solem è Nubibus tandem prodeuntem, & horrorem quo Sanctiſſimus Princeps auerſatus eſt ſacrum Imperium.

COncilio elabi è magno ſi poſſet, in antris
Quæreret Aemylius perfugium, &
latebras.
Nouere hoc ſtudium Nubes, luduntq; tegendo
Solem, blanditæ Principis ingenio.
Ne latebras ſpera, Princeps. Solem ecce
recludunt
Blanditæ Nubes Chriſtiadum ingenio.

In Nubes, & Cæleſtes Mores, & Gentilitia Sidera Principis Noſtri.

IN terris poſtquàm Cæleſtia cernimus Ora,
Cernimus & Mores Principis Aethereos,
Pallentes Cælo Phœbus non diſcutit vmbras?
Phœbe late: hìc Cælum, hìc Phœbus, & Aſtra vigent.

In Solem ſub Nubibus diu latentem, & mirabilem Demiſſionem animi, qua Sanctiſſimus Pontifex repulit indignabundus illos, qui omnium primi Regnum ipſi obtulerunt.

HVmanos Clemens mirè auerſatus honores
Reppulit, ante ſuos qui cecidere pedes.
Phœbe, diem meliore coma non ſpargis? Eous
Impexus crinem triſtior vrget iter?
Principis an trepidas iram, ſeruire triumphis
Illius obſequio ſi videare tuo?

In Solem ſub Nubibus latentem, & Sanctiſſimum Pontificem, quem per vim ſacris veſtibus induerunt Purpurati Principes.

SOlem educere Nubium inuolucro
Cur eſſe Herculeus labor videtur?
Cur ſerò iubar exerit nigranti
Sol è carcere? Nam ſereniorem
Solem è Nube Modeſtiæ reuellit
Per vim Purpurei labor Senatus.

In Pluuiam, & Clementis Optimi Sanctiſſimum crimen.

CRiminis expertẽ conſuetus ducere vitam,
Penè omnes Clemens mortales funere mergit,
Dum Diadema fugit. Scelus hoc non omnibus vndis
Abluat Oceanus, ne dum rorantibus atra
Eluerit lacrymis Nubes. Fruſtra ingruit Imber.

In Solem diu Nubibus tectum, & Aemylium Cardinalem Alterium, quem ipſamet inuidia calumniari nunquam eſt auſa.

AEmylius ſemper vixit ſine vulnere famæ:
Eximium ipſa Iubar ſuſpicit Inuidia.
Huius nulla hebetat Solis caligo nitores,
Cæleſtem velant nubila: maior hic eſt.

Ex Nubibus Neſtoream Aetatem ominamur Optimo Principi, qui diu recuſauit Imperium.

REgnum repulſæ plurimæ impatiens, diu
Torquere Te decreuit. Aeternam trahit;
Sub Nube quamuis abditus, Phœbus diem.
Latere quæris? Ideo, Sol Vrbis, ſacrum
Per luſtra terris plurima affundes iubar.
Torquere Te decreuit Imperium diu.

In Cæleſtem Proteum, & Aemylium Alterium, quem nondum ſacro Purpuratorum Principum albo adſcriptum plerique ominabantur fore Summum Pontificem.

Romano nondum fueras conſpectus in Oſtro:
Ornabit, dixi, Te Diadema Triplex.
Nubilus Axis erat: Regnabit Cynthius, inquam,
Clementis cinget dum Diadema caput.
Euenere. Nitet pulcherrimus Aethere Phœbus,
Fulgore ornatur cum Diadema Tuo.

De Cęleſti Proteo ad Clementem Naturæ imperantem, & recuſantem Hominibus imperare.

SI Diuina Tibi Virtus, Diuini & imago
Imperÿ eſt, Spreto Maior & Imperio es,
Gregorium vt Magnum dixit, Magnumque Leonem;
Magnum Clementē poſthuma Fama canet.

In

In Pluuiam,& Diui Malachiæ vaticinium, qui dixit, Sanctiſſimum hunc Pontificem fore De Flumine Magno.

Tybride quis Maior? Non illi certet Orontes,
Non Tagus, aut Rhenus, non tua lympha, Liger:
Ipſe etiam Oceanus Tybridi deceſſit; Olympo
Cum Roma æquauit belligera Imperium.
Regales Pluuiâ Tyberis cur augeat vndas?
Magnus; quamuis non Imbribus auctus; erit.

Deum ſub Nube videndum ſe non rarò præbuiſſe, narrant Diuinæ literæ.

Diuina ſe ſub Nube ſueta Maieſtas
Mortalibus præbere. Fulgidæ Nubes,
Diuinitatem ſi decent, tegant Cælum,
Diuina cum exornat Corona Clementem.

De

De Pluuia, & Tyberi, qui eluuione intumuit, quo anno Sanctiſſimus Princeps natus eſt.

Vitales Clemens cum primùm venit in auras,
Erupit ripis furibundo gurgite Tybris:
Cumque Triplex parat Aethereos circundare crines
Infula, Cæleſti rurſus turgeſcere lympha
Ambit, & in campos effundi ſpumeus amnis;
Principis ingenium vt referat, qui largus inundat
Omnia muneribus, fæcundam vt Nilus arenã
Iu Pharios infert ſepteno flumine campos.

In matutinas Nubes, & Imperij Fugam.

CVR luce pulſa, ſqualida exoritur dies,
Cum ſceptra Magnus ſumit Imperij Pater?
Nil quippe Regno triſtius Magno eſt Patri.

In Imbrem & Lachrymas Sanctiſſimi Pontificis.

R*Egnum auerſatus largo fles imbre: Tuuſque*
Fletus Cæleſtes elicuit lachrymas.

In Nubes, Et Optimum Pontificem.

Q*Vem ſerò extorſit tellus, ſuccurrere ſæclo*
Infauſto hunc, Superi, ne prohibete ſenem.
P*erpetuos Sol hic viuat ſi Neſtoris annos;*
Perpetuis Cælum Nubibus obruite.

In Cæleſtem Proteum Clementi obtemperantem.

C*Vncta ſupercilio Terrarum Regna mouere*
Quod poſſis, ſacri Muneris Imperium eſt.
At nutũ Natura Tuum, Rex Magne, veretur:
Hoc Virtutis, non Muneris Imperium eſt.

In

In Pluuium primò, deinde repente Serenum Tempus, quo coronatus eſt Sanctiſſimus Princeps.

NOcte pluit tota, redeũt ſpectacula mane:
Diuiſum Imperium cum Ioue Cæſar habet.
Mane pluit: pluuia haud lædit ſpectacula: Auita
Prodigia oſtendunt Cæſarem, at iſta Iouem.

In idem Argumentum.

CVM Ioue diuiſum Imperium ſi Cæſar habebat,
Ipſum Clementi eſt Numinis Imperium.

Victor Auguſti & Naturæ Clemens.

HVmanæ Pater, & Cuſtos Mitiſſime gentis,
Dotibus Auguſtum vincis, & Imperio.
Ille etenim haud totum frenauit legibus Orbē:
Cælum aperis; Tellus Te,& Nigra Regna colunt.
Natura hinc adeò maiorem victa triumphū,
Quàm quondàm Auguſto, detulit ipſa Tibi.

Omen ex Cæleſti Proteo,

PRodigijs qui Auguſtum vincit, vincat & annis
Imperij: octo illi ſint neque luſtra ſatis.
Poſt centum exegiſſe decem ſi dicitur annos
Alterius Proauus, ſint Tibi luſtra decem.

Ad Sanctiſſimum Pontificem Sole è Nubibus prodeunte coronatum.

IMbrem ſuſpēdis, capiēs Diademata Regni.
Senſerunt Numen Nubila & ipſa Tuum.

Digitized by Google

In Pluuium, mox Serenum Tempus.

IMbre pluit tacito, Sol mitibus aureus vndis
Mox prodit, rurſus blandior vnda cadit.
Luditis, ò Superi. An Romam læſiſſe verentur
Nubila, quam Clemens conciliat Superis?

In Imbrem, & ſublata dicatis Diuino cultui viris ab humaniſſimo Principe Vectigalia.

DIuinitatis cultui addictos leuas
Onere vetuſto. Plorât interea Polus?
Sed terra, Princeps, *munere exultat Tuo.*

In Nubes, & perpetuas Curas, quibus addictus eſt, dum ſacræ Reipublicæ famulatur Optimus Princeps.

EXultans non ridet Cynthius? Haud Tibi fulſit
Nam ſine curarum Nubibus vlla dies.

Augu-

Augurium ex Pluuia.

DVM Regno Tua Roma Tuo, Pater Alme, ſuperbit,
Imbre madet: fauſtum eſt Cœlitis omen aquæ.
Auguror. Aethereo luſtratas Flamine gentes
Innumeras Clemens abluet amne ſacro.

Fauſtum Omen ex Pluuia.

AVratam dabit hic Pluuiam, Diademata Regni
Qui dum ſacra capit, labitur Imber aqua.

Certamen Augurum, ex antecedentibus ſignis Serenam, aut Pluuiam fore diem, qua coronandus erat Sanctiſſimus Princeps ominantium.

NVbe inuolutus condidit diem Phœbus.
Hodierna Pluuiam craſtinam ferunt ſigna?
Natura fruſtra terret; eius euertet
Nam iura Clemens. Pulchra ſurget Aurora,
Vicarius qua Numinis coronatur.

Sudum erit.

EXhilarant Cælū plaudētis gaudia Romæ.
Phœbeis radÿs rideat Aula Iouis.

Sine vllo Tonitrui ſtrepitu erit Nubilus aer.

NVllum Serena è Nube fulmen erumpet.
Romana Nubes Fulmina parat in Thraces.

Digitized by Google

In Imbrem, & Lachrymas Sanctiſſimi Pontificis.

C*Aeleſti tergas manantia lumina rore,*
Gutta nec è grauidis Nubibus vlla fluet.

Omen Pluuiæ.

Q*Væ ſæpe Pluuias Nube fœcunda ciet,*
Aera pererrat Tartari nigrãs cohors:
Dolore contabeſcet ob Regnum Optimi
Clementis. Ergo craſtinas Pluuias aget.

Obſitus Nubibus erit aer.

P*Rincipis Auguſtis radiant inſignibus Aſtra,*
Cætera condantur Nubibus Aſtra, decet.

Serenitatis Auſpicium.

M*Ortalium pulcherrimum intueri opus*
Sine Nubium velamine haud Cælum volet?

Pluuiæ metus.

C*Aeleſtes oculos velamina nulla morantur.*
Diues fęcundis Nubibus Axis erit.

Augurium ſereni Cæli.

O*Ptabit fauſto Sol lumine noſtra tueri*
Gaudia, & illimi deterget nubila Cælo.

Perturbati aeris omen.

C*Aeleſtis dubio vaneſcet Cynthius auro,*
Aurea cum melior ſumet diademata Phœbus.

Regnum ſubterfugere omni ſtudio conatur.

V*Sque adeò torquet, Clemens, Tua tempora Regnum,*
Vt, dum Sceptra capis, Nubila flere velis.

In fauſtiſſimum Imbrem.

IN largam quamuis ſoluatur Iupiter vndã,
Et triſti terras obruat Imbre Polus,
Hac mercede placet. Clemens dum regna capeſſat,
Cæleſtis Pluuiam nectaris eſſe rear.

De Pluuia, & D. Malachiæ Vaticinio.

FAtidicus pingi Vates quẽ vidit ab vndis,
Sceptra petit, fauſtæ dum fluit Imber aquæ.

Cur Mitis, & ſaluberrimus fuerit Imber.

INnocuus Miti cur Cælo labitur Imber?
Clementis Mores edidiciſtis Aquæ.

Erit Nubilus Aer.

VT documenta ferãt, nihil omni ex parte beatum
Eſſe, Triũphalem præcingent Nubila lucẽ;

 Dum

Dum Sacrum non ſine Lachrymis facit Sanctiſſimus Princeps, ſoluuntur in Pluuiam Nubes.

DIuinam Aeterno Prolem dum Myſta Parenti
Deuouet, aſſiduo perluit Imbre ſinum.
Hinc ſolui in Pluuiam didicerunt Nubila. Fauſtum
Quem Clemens Imbrē prouocat, eſſe negas?

In Pluuium, mox Serenum Cælum.

NVbibus è grauidis illata pericula proſunt:
Gaudia fruſtratus duplicat ipſe Timor.

E Nubibus inferimus ſacros Fidei Triumphos, quos ab vniuerſo Terrarum Orbe referet Maximus Clemens.

CVR ſuſpenſus agit Phœbus per Nubila currum,
Et maius refugit decolor ipſe Iubar?
Vincendum ſeſe nouit. Mortalia curans
Phœbeum Clemens nam ſuperabit iter.

Cæleſtis Animus Sanctiſſimi Principis pictus à Nubibus.

INcolis Axem Animo. In Cœlum ceu Nubila conflans
Effertur Tellus, & peregrina Thetis.

Digitized by Google

In Auroram fauſtiſſimi diei Nubibus inuolutam.

CVR nigra auguſtam velarunt nubila lucem,
Primus ab Eoo cum micat Axe dies?
Nam Phœbo dixit Roma: haud tua lumina profer,
Cum rutilat noſtro maius in Orbe iubar.

Thaboris, & Vaticani Nubes.

DElibanda ſuæ Numen cum fulgura lucis
Præbuit, in rutila exhibuit ſe Nube videndum.
Hinc, quando Clemens Diuino lumine fulget,
Aurea Romanum cinxerunt Nubila Cælum.

In Nubes.

SVſpendit Clemens, Nubes quem parturit, Imbrem:
An, ſudum ſi eſſet, laus tua tanta foret?

In Nubes, & Eximiam ſapientiam Pontificis Maximi.

NVbe fluit Pluuia, exundans ſapientia Magni
Principis Auguſtum dum Diadema ſubit.
Eloquij terras ſacri qui flumine lactant,
Pinguntur Patres Nubibus irriguis.

Ex Nubibus inferimus, Optimos Impeperij Adminiſtros ab Egregio Principe lectos fuiſſe.

NVbe vt nitores Phœbus inuoluit ſuos,
Sic, Magne Clemens, ſponte Diuinum Iubar
Imminuis, alijs lucem & affundis Tuam,
Fulgere Tecum Sidera & Phœbus iubes.

In Innocuam Pluuiam.

SI Mores, Pater Almæ, Tuos benè pingeret Imber,
Lacteus efflueret Nubibus vſque latex:

Qui

Qui tempeſtiuè Auguſtum D.Petri Templum petunt, immunes Pluuiæ ſunt.

INnocuæ pendent Nubes, nec Aquarius urnam
Exerit. An nouit, cui famuletur Aqua?

In Solem Nubibus tectum.

COndit Apollineos Radios cur inuida Nubes?
Maius an Vrbi Sol inuidet ipſe Iubar?

Dum Vaticanum petunt Purpurati Patres, ſub Nubibus delituit Sol.

STrmate nigranti ſubtexuit Optimus Axē Princeps, ne lædas lumine, Phœbe, caput.
Nubila cui præbent famulatum, victaq; paret
Natura, hunc ego non ſuſpicer eſſe Deum?

Cur

Cur Imber è Nubibus deſluxerit, & Fulmen ex iiſdem non eruperit.

FOecũdus Imber, Fulmen & nocuum ſolet
Prodire Nube. Fertilis nobis erit,
In perſidos & Fulmen Odryſios parat.

Fauſtum omen ex Nubibus.

HOſtibus aut Fidei portendunt Nubila Bellum,
Aut Lachrymas, Sanctus quas dolor eliciat.

In Imbrem, & Lachrymas Principis Noſtri Imperium auerſantis.

PLoras, ne ſummo regnes in culmine rerum?
Has quis Cæleſtes eſſe neget Lachrymas?
Hinc Pluuiâ tecum rorantia Nubila plorant.
Lætitia Cælum, aſt ipſe Dolore mades.

Sole

Digitized by Google

Sole è Nubibus erumpente aliquandiu pluit.

E Xultans defLet Cælum? Quandoque recenti
Lætitia iniuſſæ proſiliunt Lachrymæ.

In pluuiam.

N Vbibus erumpunt quot guttæ, tot Tibi, Clemens,
Sunt Dotes, *Magni tot Charites Animi.*

In Nubes, & Gentilitia Pontificis Maximi Sidera.

H Aud luſtrat roſea terras Sol luce? Latere,
Cum regnant Cælo Sidera, Phæbe, ſoles.

De

De Sole diu ſubNubibus latente ad Modeſtiſſimum Principem.

SOL latet, at celſa Cæli in regione triumphat.
Sponte lates; Phœbo aſt altior aſtra petis.
Et quia ſponte lates, ſublimis in Axe triũphas.
Qui latet, hunc verè dixero Magnanimum.

Dum in Vaticanum Templum infertur Sanctiſſimus Princeps, ſub Nubibus Sol deliteſcit.

ROmulidum rapiat Princeps cum lumina, Phœbus
Maluit ingrati quæſitam carceris umbram,
Quàm loſtrare Polum facibus, quas nullus adoret.

Ex Pluuia Omen.

E Xcidium hic Imber Thraci fatale minatur.
Largior Odryſÿ ſanguinis Imber erit.

In Pluuiam, & Lachrymas Sanctiſſimi Principis ſacras ad Aras operantis.

H IC etiam noſtros lachrymarum prouocat Imbres
Imber, ut, Alme, ſacro ſpargeris Imbre, Pater.

E nubibus inferimus ſupremum Ius Sanctiſſimi Principis.

T Radita Lex Moſi de Nubibus. Aurea ſumens
Sceptra inter Nubes condere Iura poteſt.

In

Digitized by Google

In Pluuiam, & perpetuum ſacrarum Precum ſtudium, cui addictus eſt Religioſiſsimus Princeps.

D*VM Sacrum peragis, Tecum rorantia plorant*
Nubila; Sol regnat, dum Diadema ſubis.
Qui diuturna vocare ſoles in vota Tonãtem,
In Solem, atque Imbrem ſumere iura potes.

In Pluuiam delapſam, dum Beneficentiſſimus Princeps ſacras ad Aras operaretur.

V*Bera Terrarum ſunt Nubila. Pingitur illis*
Clementis, lactat qui Populos, Animus.

In

Digitized by Google

In matutinas Nubes, & ſublatum ab Optimo Principe ſacris hominibus Vectigal.

VT Cælum, Terras, ac Tartara Numine flectat,
Sceptra capit Clemens, Nube tegente Polũ.
Quis, Pater Alme, Iouem Te non putet eſſe Tonantem?
At pluis Auro, non Tela triſulca vibras.

In Tempeſtiuum, & agris ſaluberrimum Imbrem.

VT Tempeſtiuum ſoluunt ſe Nubila in Imbrem!
Hunc Clemens dedit: haud fertilis eſſe nequit.
Prodigiosè Orbi Te, Clemens Optime, tandem
Indulſit Deus: haud Optimus eſſe nequis.

In auroram Nubibus tectam.

Conſtiteram exorientem Auroram forte requirens,
Cum ſubitò Clemens Optimus exoritur.
Pace mihi liceat, Cæleſtes, dicere veſtras:
Mortalis radios vincit Apollineos.

In Nubes, & Imperium Summi Pontificis laborioſum.

Tergemina dum Roma parat redimire Corona
Clementem, Phœbus Nubibus induitur.
Chriſtiadum Patri rarò affulgere Serena
Læta ſolent: ſæpe hic Nubila Phœbus amat.

Digitized by Google

Per tres ferè horas identidem redeunte
Pluuia maduit Roma.

DVM Pluuiâ *Romam redeunte irrorat Olympus,*
Fæcundatque agros, labitur hora triplex.
Sic ſacris onerare ſoles dum Sidera votis,
Imbre per Aethereas vſq; cadente genas,
Tres fluere, & quatuor ſueuerunt ſæpius horæ.
Vt campis animi fertilis Imber hic eſt!

Ex eo, quod nullo Venti, aut Tonitrui turbine concitatus ſit Pluuius aer, infe-rimus Silentium, quo initum eſt con-ſilium eligendi Sanctiſſimum Clemen-tem.

MIſcetur nullo ceu murmure, dum pluit, Aer,
Purpureo nulli ſonuerunt Aethere nimbi,
Dum Sancto Patres *cōſpirant fœdere, Terras*
Vt Clemens regat Imperio, Cælumq; recludat.

Deus

Deus inter Nubila.

LVmina ne lædat Numen mortalia, vultũ
Conſueuit rutilis Nubibus induere.
Quem præfert vita, penè eſt Collega Tonantis,
Sceptra inter Nubes cui parat Imperium.

Cur Sole à Nubibus erumpente aliquandiu pluat?

ILluſtre quamuis exerat Phœbus caput,
Fluit Imbre Nubes. Gaudium hos fletus ciet;
Serenus hinc in Lachrymas Aether cadit.

Diuinus Triumphus in Nube ad Sanctiſſimum Principem.

IN Nube effertur ſi Numen ad Aſtra curuli,
Diuinum is inter Nubila ad Imperium.

A SS. Patribus Doctores fœcundis nubibus comparantur.

DIuinitatis erudire Proreges,
Per cætera poteſt ſecla VitaClementis:
Exemplar Ille eſt omnium. Ergo doctores
In Nubibus cum ſueuerint colorari,
Suos nitores Nube Phœbus inuoluit,
Diadema fronti dum paratur Auguſtæ.

Imbris cauſæ.

CVR Vrbem Nubes humectāt Imbribus? Almum
Quòd ſerò Clemens fertur ad Imperium.

In Nubes, & Fauſtitatem ob diuturna Comitia.

AT ſerò & ipſe venit in Terras Deus,
Terraſq; vinclis ſoluit Et Clemēs iugo.
Soluet vetuſto criminum. In Lachrymas Polus
Ne ſoluat Imbrem. Fauſta ſors Terris redit:
Expelle Nubes, Roma, in Aegeum Mare.

Nubes

Nubes Iſraelis dux.

DVX fuit Iſacidum deſerta per auia Nubes.
Optimus affulget nunc inter Nubila Ductor
Chriſtiadum Populo, qui ad paſcua læta volentes
Flectat oues, ſilua errantes educat opaca.

Iuſtitiæ cultor eximius Coronà exornatur, poſtquam diu ſub Nubibus delituit Sol.

GEnibus minores quẽ tremunt ipſi duces,
Iudex verendus, Arbiter mũdi ſacer,
Dum Nubibus velatur obſcuris Polus,
Ad ſcepra fertur. Alteri vt nubi inſidens
Librabit æqua lance Mortales Deus.

Deus olim viſus inter Nubila.

D Iuinus quia Nube ſuos Sol abdidit ignes,
Solem abdis, Regnum dum Tibi ſceptra parat.
Diuini ſemper ſpecularis lumina Solis:
Hinc hauris, Clemens, Numinis Ingenium.

Sol è Nubibus erumpit, dum Sanctiſſimus Princeps coronatur.

S OL prodit Nube, indicens noua gaudia Romæ,
Orbis adoratos dum cadit ante pedes.
Vt Sol Clementi ſoluat vectigal ab Axe,
Nubila cœperunt obſequioſa fugam.
Quos decet eſſe Hominum tali ſub Principe *Mores,*
Qui iubet Ingenium Nubibus eſſe Pium?

In Tenuiſſimum, & Rori ſimillimum Imbrem.

C*Eu Ros in gramen deſcendit Numen ab Aſtris.*
Imperium Clemens Numinis inſtar adit.

In Solem è Nubibus erumpentem.

E*T noua Apollineum pertentant Gaudiâ pectus,*
Aeneadum vt Cælo Procerum ſe gloria tollit?
Clementi lætus non plaudat ab Aethere Phœbus?
Romulidis Fauſtam lucē Sol non notet Auro?

E Nube ſubluſtri viſus identidem fuit Sol.

E *Nube Phœbus promit, & celat diem.*
Diuinitas Clementis è vultu emicat,
Caleſte quamuis membra compeſcant Iubar.

In Pluuiam, & fauſtiſſimum ſilentium quo de renunciando Pontifice conſilium iniuerunt Principes Purpurati.

Concubia dum nocte tacent mortalia; Numen
Vagitu Bethles impulit antra Puer.
Sic dum cuncta ſilent, tradunt Tibi ſceptra Tonantis
Purpurei Patres: ſic tacet Imbre Polus.

In Solem è Nubibus erumpentem, & renunciatum poſt diuturna comitia Optimum Principem.

Tranquillo ridet pacatum lumine Cælū;
Dum fremit exultans Principe Roma ſuo.
Dilata & geminantur gaudia. Pulchrior eſt Sol,
Cum dederunt Phœbo Nubila pulſa locum.

Dum

Dum Vaticanum Templum ſubit Sanctiſſimus Princeps, ſub Nubibus Cęlum latet.

TEmpla tuo, Salomon, Petri Cæleſtia certant:
Illud Nube latens ſuetus inire Deus:
Hoc, dum conditus in Nubem Sol Axe receſſit,
Templum adit, ingens qui Numinis inſtar habet.

In Nubes, & horas, qnas quotidie pluri̇mas ſacris precibus indulget Religioſiſſimus Princeps.

DIuino alloquio dignati è Nubibus olim
Aurea ſueuerunt ora videre Dei.
Perpetuò alloquitur Numen, qui dum humida pendent
Nubila, Tergeminum fertur ad Imperium.

In

In Solem Nubibus tectum.
Ad Sanctiſſimum Clementem, ne Imperium auerſetur.

Conditus in Nubem cur Sol fulgere recuſat?
Quid Sol? Terrarum Nobile Mancipium:
Perpetuo curſu terris famulatur. Haberi
Christiadum Seruus, Phœbe ſuperbe, negas?

E Nube Diuinus Filius declaratur.

CVR, Lucis Alme Rector, in Nubem tuos
Cogis nitores? Nube nam è fauſta Parens
Natum indicauit, ora qui mortalia
Induerat olim. Nube ſic tegitur Polus,
Dum corporati qui gerit vices Dei,
Cæleſtis eſt ſumpturus Imperij notas.

In Nubes, & ſeruatum hoc etiam anno à Religioſiſſimo Principe ieiunium quadraginta dierum.

PER Quadraginta exegit ieiunia Soles,
Ac dein fulminea Moſes è Nube Tonantem
Cernere promeritus. Totidem tenui dape Clemens
Durauit Soles, dein ipſe è Nubibus aureis
Exhibuit Romæ ſpeciem, Imperiumque Tonantis.

Cæle-

Digitized by Google

Cæleſtis Proteus alloquitur
Eminentiſſimum Principem
Palutium Cardinalem Alterium.

MVltiplici è vultu, quem, Princeps, induo, pingens
Fronte Triumphalem verſicolore Diem,
Te notat, Illuſtris qui profert lumina Solis:
Romæ Hoſtes Imber, Nubila & atra notãt.
Quiſquis Romani Sancta horret Regna Parentis,
Fletus Imbre madet, Nubibus induitur,
Dum ſacri Alcides Atlantis; publica curans
Cõmoda, Romuleum tollis ad Aſtra decus.
Indolis Auguſtæ fulgor, Generoſus Auitæ
Stirpis honor, Vultus atq; Animi Charites,
Ingenij lux, & Claræ Sapientia Mentis,
Aurea Regalis Pectoris Integritas,
Te oſtẽdũt Solem: aut de Sole Parelion, Alma
Clementis Magni lumina fronte refers.
Cæleſti intuitu peperit Tua lumina Clemens,
Vt Soles alios Sol parit intuitu.

Pró-

Proteus Cæleſtis, ſiue multiplex vultus diei quo coronatus eſt Sanctiſſimus Pontifex.
Ad Excellentiſſimos Principes Gaſparem Alterium S.R.E. Generalem, & Angelum Alterium Triremium Præfectum.

Caeruleus Pelagi Vates ventura recludit:
Omina multicolor dat quoque fauſta dies.
Sanguineam Thraci pluuiã prænũciat Imber:
Soluenda errorum Nubila, Phœbe, notas.
Conſultò erumpis Nube, & magna omina præbes
Communis cultus, Phœbe, iterumq; lates.
Quidquid flagranti luſtrat Sol lampade, nutum
Clementis colet, hunc Phœbus vt ipſe colit:
Et colet Heroes, *quorum ſelegit ab omni*
Romana Clemens Nobilitate Genus.

De

De Sole, & Pluuia ad Sanctiſſimum Pontificem.

CAſtalia Vnda Tuus nobis eſt Imber; Apollo
Ipſe es, Magne Parens, Siderum, & Orbis Amor.

Augurium ex eo, quod dies, qua natus olim eſt Eminentiſſimus Princeps Palutius Cardinalis Alterius conſequatur diem triumphalis pompæ Maximi Clementis.

CLementis ſequitur Tua lux natalis honores.
Poſt illos debent num Tua Regna ſequi?

LAVS DEO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

22